

**Dissertatio medica inauguralis de medico naturae domino / [Johann Theophilus Hugo Rochlitz].**

**Contributors**

Rochlitz, Johann Theophilus Hugo.  
Heister, Lorenz, 1683-1758.  
Universität Helmstedt.

**Publication/Creation**

Helmstadii : Litteris Pauli Dieterici Schnorrii, [1730]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a7czdzzu>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

44327/P 66521 96

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
MEDICO NATVRÆ DOMINO

QVAM  
GRATIOSO COLLEGII MEDICI IN ACADEMIA IVLIA CONSENSV

PRÆSIDE  
LAVRENTIO HEISTERO

MED. DOCT. THEOR. BOTAN. ET CHIRVRG. P. P.  
ATQVE H. T. DECANO

*PRO GRADV DOCTORIS*

D. II. OCTOBR. MDCCXXX.

PVBLICE DEFENDET  
IOH. THEOPHILVS HVGO ROCHLITZ

ANDREÆMONTANVS  
HORIS LOCOQVE CONSVETIS.

---

HELMSTADII  
LITTERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR. K









DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS  
DE  
MEDICO NATURÆ DOMINO  
I.



Vlti multum desudarunt, multumque negotii sibi dederunt, ut demonstrent & evincant, *Medicum naturæ esse ministrum*, Medicumque in morbis nihil agere posse, imo nihil agere, *sed solum naturæ ductum sequi debere*, ubique clamarunt aliisque serio inculcare voluerunt: atque sic, ut mihi videtur, dignitatem & auctoritatem Medicorum, qui alias, ut Domini etiam Principibus & Regibus, si quando ægrotant, quomodo vivendum, quidque faciendum sit aut agendum, præcipiunt, si eorum saluti rite, ut par est, prospicere, sanitatemque eorum vel præsentem conservare, vel



amissam aut labefactatam restituere desiderant, valde sed immerito imminuere satagunt.

## II.

Alia vero longe hoc in negotio mihi mens est aliaque sententia. Nam etiamsi facile concedam, naturam sæpe solam multos morbos curare, Medicoque iu curatione morborum naturæ nutum sive ductum sæpius esse sequendum; *minime vero inde sequi existimo, Medicum nil nisi Naturæ mancipium, servum aut ministrum esse, ejusque ductum semper sequi debere*, quia hoc ad innumeros errores & absurda, ut infra demonstrabimus, duceret. Sed ostendere potius annitar, *Medicum genuinum*, bonum & prudentem, sæpissime & in plerisque morbis *ut Magistrum, Dominum, Directorem & Præsidem naturæ agere, ipsam ducere, flectere, imo haud raro vi quasi & armis cogere debere*, quemadmodum Dominus suos servos aut subditos, quemadmodum dux milites, quemadmodum bonus eques, vel auriga equos suos, quando hi inobedientes sunt, à debito tramite deflectunt, aut id, quod facere debent, non faciunt; aut Domino noxia vel contraria moliuntur: atque sic Medicum naturæ non ministrum, sed Dominum sive Magistrum esse debere evincam.

## III.

Vt vero sententia nostra tanto melius patefcat, considerabimus prius paucis, quid verbis nostri tituli intelligamus, & intellectum velimus. *Medicus* nobis aliisque quam plurimis est vir prudens, qui probe callet,



callet, quomodo sanitas humana præsens sit conservanda, eaque amissa restituenda. Vt vero in Medico describendo fere omnes conveniunt; ita *in Natura definienda*, aut quid id, quod Naturam vulgo appellant, sit, & Philosophi, & Medici ipsi hodie adhuc quam maxime discrepant, dissentiuntque, atque nos ipsi lubentissime fatemur, rem non adeo planam aut expeditam esse, licet sit antiquissima.

## IV.

Nolo iam hac de re omnes Medicorum atque Philosophorum sententias hic recensere; quia hoc iam à quamplurimis factum esse novi. Sed solum indicare volo, nonnullos *substantiam incorpoream sive spiritum quendam, ab anima rationali distinctum*, naturæ nomine intelligere: quia actiones multas, easque stupendas in homine perficit, quas neque animæ rationali, quippe quæ earum conscia non est, neque corpori, tanquam inertī, ut volunt, materiæ adscribi tribuere iure posse opinantur; eamque modo sub principii aut flammulæ vitalis, modo sub archei, modo sub animæ vegetativæ aliove nomine comprehendunt, atque sic *tertiam hominis partem, præter animam rationalem & corpus, admittunt*, aut constituunt.

## V.

Alii, qui hanc tertiam hominis partem admittere religioni sibi ducunt, iique hodie inter Medicos quam plurimi, *ipsam animam rationalem naturæ nomine* in Medicina sive morborum curatione intelligen-



dam, five *ipsam animam rationalem pro natura habendam* esse censent : quia actiones in corpore tam sano quam ægro ipsi adscribuntur, quæ sensum, iudicium, ac ratiocinium efflagitare videntur, quæ corpori adscribi nullo modo possent. Vtpote quando ventriculo nimis onerato atque inde læso vomitus oritur, quo noxium ex ipso eiiciatur, eoque a molestiis, quæ sæpe ingentes sunt, liberetur. Aut quando in doloribus capitis vel febribus continuis hæmorrhagia vel sudor salutaris, vel diarrhæa superveniat, similesque alii effectus quam plurimi: quos fieri posse negant sine ratione, sine deliberatione, sine iudicio, adeoque sine anima rationali ; cum homini in adeo salutarem finem cedant, quod a corpore expectari non posset.

## VI.

Alii e contrario præcipuorum Medicorum, cum anima rationalis horum effectuum, atque de iis prius institutæ deliberationis prorsus ignara sit, impossibile esse contendunt, animam eiusmodi actus perficere, effectusque, qui deliberatione producti esse dicuntur, præstare posse sine ipsius scientia aut conscientia, imo sæpe contra ipsius intentionem aut voluntatem : cum sæpe longe alia tunc cogitet & moliatur anima, longeque alia velit, quam quæ re vera fiunt in corpore. Adeoque cum tertiam in homine substantiam præter necessitatem admittere nolint, corpus five corporis partes earumque artificiosissimam fabricam aut mechanicam, sensu elatere & motu, quamdiu animal vivit,



vit, à Deo præditam, cumprimis vero cor eiusque motum ac elaterem, quo sanguinem reliquosque humores, auxiliantibus potissimum arteriis, aliorumque partium motu tonico, per omnes corporis partes circumpellit, conservat, mutat, attenuat, resolvit, expellit, secretionem & excretionem rerum in sanguine noxiarum ab utilibus producit, atque sic corpus à morbis tam præservat, quam liberat : cum quibus & nos ob rationes modo dictas merito consentimus.

## VII.

Verum obiiciunt illi, *a corpore sive materia eiusque partium elatere motus illos salutes dependere minime posse ; cum nulla machina in motu suo impedita, sponte in pristinum statum se restituere queat : ideoque nec a machina nostri corporis id expectari posse.* Verum præter id, quod in animalibus brutis idem contingat, similesque effectus in iis salutes, quando ægrotant, observentur, quibus graves ob rationes quamplurimi animam rationalem tribuere sive adscribere nolunt, adhuc respondeo, primo quod nonnullæ machinæ in motu suo impeditæ aut læsæ sponte sæpius re vera ad motum debitum redeant. Cui enim ignotum est, quod *horologia* & maiora & minora, ob impedimentum quoddam forte interveniens, quandoque aliquamdiu subsistant, & in progressu ac motu impendantur ; quæ vero modo citius, modo tardius, licet omnes eius partes vi elastica, ut corpus humanum præditæ non sint, sponte rursus se movere incipiunt, prioresque motus, ut antea continuant. Sic & *clepsydre* quandoque sub-



subsistunt & arena hæret; quæ vero deinde sponte rursus fluit. Ita canales sive *aquæductus*, qui aquas in urbes vel hortos deducunt, quandoque a luto, foliis, musco vel herbis casu intrantibus, obstruuntur, motusque aquarum aliquandiu, nunc plus nunc minus impediuntur, aut prorsus sistuntur; quæ vero impedimenta a pondere aquæ eiusque vi premente, aut ab embolis vel pistillis eiusmodi aquas pellentibus (quorum vicem in animalibus cor gerit) aliave causâ protruduntur, excutuntur, motusque pristinus aquarum in machinis his hydraulicis, sine animæ aut substantiæ incorporeæ auxilio, restituitur, ut alia exempla, quæ afferri possent, brevitatis causa nunc silentio prætermittam.

### VIII.

Deinde *a machinis humanis valde imperfectis ad machinam Divinam*, & cum primis præcipuum Dei opificium, corpus scilicet humanum, aliorumque animalium, *iudicare & concludere velle, ob ingentem machinarum diversitatem profecto non succedit.* Quantum enim Deus omnipotens imbecillos superat mechanicos sive artifices, tantum etiam eius opera & machinæ superant humanas: adeoque horum machinæ idem sæpe præstare non poterunt, quod illius. Quæro enim ex istis an negare possint aut velint, Deum talia corpora talesve machinas efficere potuisse, quæ, si obstructions in eorum canalibus aliave vitia in iis oriantur, se ipsas sua vi elastica aliave facultate, quarum innumeræ forte esse possunt, ab iis liberare, eisque noxia propellere & expellere valerent; quæro, in-



inquam, an impossibile sit Deo partibus talibus vires eiusmodi largiri ad noxia e corpore expellenda aut mutanda? Id profecto Deo esset omnipotentiam suam denegare; præsertim cum tam ingentem vim elasticam in corde, arteriis, pulmonibus, musculis tunicisque, ut alia nunc taceam, a supremo conditore ipsis concessas, quam manifestissime observemus: ut etiam exsecta ranarum, aliorumque nonnullorum animalium corda motus illos elasticos adhuc diu sæpe continuent.

## IX.

Ita percipimus, quod ab *illapsis in oculum* pungentibus, irritantibus, oculus mox & palpebræ se commoveant ad noxium removendum, antequam sæpe anima de eo vel tantum cogitet. Sic *ventriculus* vel a nimia copia, vel ab acribus five stimulantibus variis irritatus, se constringit vehementer, & contenta sæpe per vomitum expellit: id quod anima sua voluntate nec efficere unquam potest, nec impedire valet. Idem sæpe *in intestinis* videmus, quæ irritantibus stimolata se constringunt, & contenta per alvum expellunt. Hinc Medici semper & ab antiquissimis iam temporibus actiones animales (quæ scilicet ab animæ voluntate aut imperio in corpore nostro dependent) a naturalibus (quæ ab eius voluntate non dependent) probe distinxerunt, & a diversis causis oriundas haud sine ratione crediderunt.

## X.

Præterea miseri nos homines multas adhuc vires



res aut facultates corporum, quas DEVS ipsis dedit, aut dare potest, ignoramus; minimeque credendum esse puto, quod viventia corpora, tanto artificio constructa & fabricata, sentire seque ipsa per longum tempus conservare nequeant. Nam licet concipere clare non valeamus, quomodo materia aut corpus sentiat, tamen inde mox non sequitur, illud non sentire: quia etiam quomodo anima sentiat, si ingenue verum fateri volumus, concipere non valemus; cui tamen sensus sine omni dubitatione ad unum omnes tribuunt & adscribunt, quasi nullum hac in re dubium nullave difficultas superesset. Ponamus vero nunc animam sentire. Hæc iam si sentit, sensus profecto non habet à se ipsa; sed a DEO & Conditore eius, qui ei hanc facultatem tribuit. Si vero animæ, ut concedunt, hanc facultatem sive sensus dare potuit & adhuc potest, cur non etiam, si lubet, hoc corpori dare poterit: id quod sane DEO, enti scilicet omnipotenti, me saltem iudice, non impossibile, sed perinde erit.

## XI.

Obiicere vero hic solent, qui hanc virtutem sive potentiam Deo adimere non audent, vulgare illud Philosophorum, *a posse ad esse non valere consequentiam*. Verum respondeo, hoc in negotio, ubi in brutis, quibus animam rationalem plerique negant, eosdem sensus observamus, hanc consequentiam omnino & in homine, creaturarum principe, valere. Deinde, quia, quod anima actiones naturæ adscriptas, hoc est, quæ animæ voluntati subiectæ non sunt, perficiat,  
nullo



nullo modo certe probari, demonstrari, atque extra dubium poni potest; sed eadem, vel longe adhuc maiora, eaque quamplurima de hac animæ potentia supersunt dubia. Illud saltem certo inde evincitur, quod sensus in corpore sive machina vivente a Deo facta, esse possit: quia ipsi impossibile non est, ut modo probavimus, æque corpori sive materiæ, quam animæ sensum, motum, vim elasticam, tonicam, similesque dare aut largiri facultates. Quicquid vero Deo impossibile non est, illud revera esse potest, nullamque contradictionem, nihilque, ut ego saltem opinor, absurdi involvit; nisi aliud quam manifestissime probetur.

## XII.

Instant vero contrarium sentientes, quod *ordo certumque tempus*, quæ natura tam in statu sano, verbi gratia in mensibus mulierum, quam in morbo, paroxysmis scilicet febrium, certisque sanguinis fluxibus servat, a re corporea, intellectu quippe destituta, observari ita, ut fiunt, non possent; sed requiri, ut ea a re incorporea, sensu & intellectu prædita, necessario ortum ducant: adeoque animam rationalem esse naturam, quæ hæc tam ordinatim excitaret, & in salutem corporis produceret. Sed rehero primum, quod illud certum tempus & ordo in menstruis mulierum non adeo certa sint, ut a multis forte non satis cautis & expertis vulgo perhibetur, quasi semper eodem die eademque hora singulis mensibus redirent: cum contra præter frequentes observationes & mulierum ipsarum & medicorum clinicorum, nos ipsi insignem



varietatem, & quod in pluribus feminis incertis potius diebus, imo incertis sæpe hebdomatibus redeant, quam certis notaverimus. Id quod & de paroxysmis febrium toto die, præsertim cum iam, dum hæc scribimus, apud nos sint epidemicæ, observari potest in ægris; ubi plerumque diverso incertoque tempore revertunt: ut de hæmorrhagiis periodicis aliisque paroxysmis iam nihil dicamus.

## XIII.

Verum fingamus *certum ordinem, certumque tempus his in rebus a natura servari*; tamen propterea non sequitur, eas a causa sive substantia immateriali aut incorporea fieri: cum certum tempus quoque in horologiis, clepsydris, organis pneumaticis, machinis hydraulicis aliisque rebus corporeis, & quidem sæpe longe exactius, quam in mensium febriumque aut hæmorrhagarum negotio observari conspiciamus. Præterea an non *astra & planeta, ipsaque nostra terra* ex recentiorum Philosophorum sententia, licet nemo facile animam rationalem ipsis adscribat, longe adhuc certiore ordinem, cursum, motum atque periodum observant? Si itaque Deus hanc vim, ut certum ordinem & motum servant, certosque effectus his ipsis producant, hisce corporibus dare potuit; cur non eandem virtutem corpori humano aliarumque bestiarum quoque largiri valebit? Neque quis in malam partem interpretari aut peccati accusare nos potest, quod naturam corpoream statuamus; verum tanto maius potius Dei artificium in corpore nostro agnoscimus, tantoque maiorem ac potentiorrem eius conditionem



torem atque effectorem esse intelligimus: quando ille rei corporeæ aut machinæ artificiosissimæ etiam certos sensus & motus, certasque se ipsam diu conservandi & restituendi facultates dedit, quas alii artifices suis machinis, citius propterea perituris, dare nequeunt.

## XIV.

Denique & ex eo cognosci posse puto, id, quod naturam vocamus, corpori & non animæ tribuendum esse in Medicina: quando toto die dicimus vel audimus, *hunc vel illum hominem vegeta & robusta gaudere natura; hunc hominem robustam naturam servasse*, alias morbum non superasset; alias ex hoc vel illo morbo non evasisset. E contrario de aliis dicitur, *quod ob imbecillem naturam perierint, vel hoc aut illud perferre nequeant*. Quis vero iam erit adeo obtusi ingenii, qui hæc de anima & non de corpore intelligere velit? cum homines robustæ naturæ censeantur vulgo rustici, milites, quadrati, fortes; eruditis contra & literis deditis vulgo debilis & imbecillis natura adscribatur, atque revera etiam, ut CELSUS iam monuit, a) ut plurimum debillima natura præditi sint, parumque vel nihil fere incommodi, verbi causa iniurias aeris, vel victus errores, vel labores fortiores perferre queant, omniumque ut plurimum sæpissime ægrotent: quorum tamen anima robusta & vegeta est, cuiusque actiones præstantissimæ sunt; corporis vero contra, sive naturæ, valde imbecillæ.

B 3

Vn-

---

a) In præfat. & lib. I. cap. II.



Vnde quam manifestissime apparere existimo, *naturam, quam morborum medicatricem & Hippocrates a) Galenus & alii medici semper vocarunt, atque adhuc vocant, a corpore eiusque facultatibus, a Deo ipsi concessis, vel in totum vel saltem potissimum dependere, nullamque differentiam inter naturam corporis & naturam morborum medicatricem, ut nonnulli volunt, intercedere.*

## XV.

Tandem & illud adhuc accedit, quod animam rationalem pro natura morborum medicatrice agnosce-  
re nequeam: *nimirum quia sæpissime in morbis effectus occurrunt, quos anima ægri, quamvis æger Medicus sit, morborumque indolem rite intelligat, tamen ignorat, imo nosse, expiscari aut præscire non potest; licet anima eius etiam quam maxime ea de re cogitet ac sollicita sit, atque effectus illos avertere & impedire omni modo velit, omnibusque viribus annitatur. Exempli loco sit ex innumeris aliis æger hæmoptysi, aut vomitu sanguinis sæpius laborans. De hoc multi recentiorum, qui sub natura animam intelligunt, docent, quod natura sive anima hæc aliave sanguinis profluvia excitet. Cum vero animæ rationali tam eruditorum, quam non eruditorum prorsus incognitum sit, quod hoc faciat, aut quis hoc faciat, licet quam attentissime hac de re cogitet; atque contra facile & semper agnoscat, se hoc non facere, & eiusmodi sanguinis excretiones corpori his in locis summe esse noxias, multosque*

---

a) Lib. VI. Epidem. Sect. V.



que ægros inde perire: profecto ne suspicari quidem possum, hominum prudentium animam, qui sanitatem & vitam amant, summoque in pretio habent, tam noxias, tamque sæpe hæmorrhagias hæc unquam suscepturam esse. Verum e contrario, si, ut multi volunt, ab animæ voluntate & directione omnes actiones in corpore dependerent, hæcque earum directrix sive Domina esset, profecto si sanguinem abundantem in corporis commodum expellere vellet, quia ens est ratione præditum, quod corpori suo bene cupit, eiusque commoda omni modo procurare studet, hoc per loca innoxia, nares, vasa hæmorrhoidalia vel uterum semper expelleret. Atque si hæ excretiones semper per loca eiusmodi salutaria aut saltem innoxia contingerent, has actiones ab anima provenire aliquis credendi locus esset. Quia vero e contrario illæ excretiones frequentissime per partes & loca adeo noxia contingunt, multique propterea pereunt, nulla ratione mihi eas ab anima fieri persuadere possum. Vidi & novi sic aliquot Medicos prudentissimos pariter atque doctissimos, qui ex hæmoptysi & inde orta phthisi diem supremum obire coacti sunt. Horum anima probe didicerat atque cognoverat, hunc morbum esse periculosissimum, omnique modo, omni conatu & cogitatione eum avertere voluerat, ac quamplurima etiam remedia, quæcunque prodesse iudicavit, adhibuerat; at tamen nihil efficere potuerat. Quando igitur sanguinis spontaneæ excretiones ab anima dependerent, nemo, minimum nullus prudens Medicus hæmoptysi  
aut



aut vomitu cruento laboraret; quia anima eorum optime novit, has excretiones summe noxias & periculosas esse, sanguinemque peccantem per loca innoxia saltem emitteret. Verum hoc non facit, ipsisque sæpe inde moriendum est; adeoque ab anima hæc non dependere mihi certe persuadeo.

## XVI.

Quando vero causas mechanicas ponimus harum sanguinis profusionum, & cum CELSO agnoscimus, a) *nullum facile esse hominem, qui non partem aliquam habeat imbecillam*, quemadmodum experientia quoque docet; facile concipi potest, hominem debilibus pulmonibus instructum, ubi vel sanguis abundat, aut motu vel acrimonia peccat, vel quis vociferando vel magnum pondus elevando occupatus est, facilius læsionem vasorum sanguiferorum in debilibus pulmonibus pati, quam in aliis partibus robustioribus. Atque sic eodem modo se rem habere existimo in aliis hæmorrhagiis, ut semper erumpat sanguis fervidus, vel ebulliens, vel nimius, ea in parte, quam æger habet debiliorem. Hinc illud modo fiet in naribus, modo in pulmonibus, modo in ventriculo, renibus vel intestino recto, prout hæc vel illa pars est reliquis debilior, in qua sic vasa sanguifera ob causam quamcunque facilius rumpuntur, quam alibi: eodem modo ut aquarum impetus, canales aut aggeres facilius in locis debilioribus disrumpit, quam in fortiori.

---

a) Lib. I. cap. III.



tioribus, Stulta enim ea esset anima, imo stultissima, quæ, si in ipsius potestate esset, sanguinem per loca periculosissima expelleret, quem in locis securis expellere posset: id quod a prudenti anima, cui sanitas & vita cara est, minime expectandum.

## XVII.

Præterea *sanguis alique humores tanta sæpe copia e corpore expelluntur, ut ægris inde sit moriendum*: quemadmodum subinde homines narium hæmorrhagia, alii hæmoptysi, alii vomitu cruento, alii dysenteria, alii aliis sanguinis profluviiis, alii diarrhœa moriuntur. Si anima has excretiones in salutem ægri, ut ii, qui animam naturam esse statuunt, docent, produceret, nemo profecto inde moriretur; sed anima fluxus hos mox cohiberet, si satis excretum esse cognosceret. Quia vero hoc sæpe non fit, sed fluxus illi haud raro, quicquid etiam anima velit aut iubeat, ad mortem usque durant, patet hos non iudicio fieri, aut a principio rationali; verum rectius inde concluditur, eos ex prædictis causis physicis aut mechanicis contingere: quæ, quemadmodum aliæ machinæ, quid satis aut quid nimium vel noxium sit, non comprehendunt aut intelligunt. Atque sic ex his & similibus adhuc pluribus rationibus constare existimo, *illud, quod naturam morborum medicatricem appellamus, non animam rationalem, aut incorpoream esse, sed principium corporeum*, corpus scilicet nostrum mechanice constructum, sensu, motu ac vi elastica præditum; quod molesta & noxia, sive mole, sive acrimonia,



monia, five alia ratione irritent, ex omnibus partibus expellit; dum ab irritatione partes, & cumpri-  
mis cor & arteriæ motus suos augent, fortiter imo  
vehementer sæpe se constringunt, atque sic his mo-  
tibus molestum & irritans, ubicunque hæreat, vel  
eiiciunt, vel saltem eiicere & extrudere conantur: uti  
v. gr. ventriculus facit in vomitu, intestina in fluxi-  
bus alvi, cor & arteriæ in febribus & inflammatio-  
nibus, uterus in partu, aliæque partes in aliis casibus,  
ubi anima stat post principia, & vel nihil, vel parum,  
si partum excipias, contribuit.

## XVIII.

Deinde etiam ex nostra sententia, qui naturam  
corpoream & mechanicam statuimus, longe melius  
*quid per errores naturæ*, de quibus Medicorum libri  
tam sæpe loquuntur, intelligendum sit, & quomodo  
oriantur, comprehendendi potest. Nam qui dicunt, hæmo-  
ptyfin exempli causa, vomitum cruentum vel mictum  
sanguinis, *per errores naturæ contingere*; dum natura  
in hæmoptysi sanguinem noxium per nares expellere  
studeret, verum errore illum per pulmones expellere,  
vix credenda proferunt. Nam quis hoc credere po-  
terit de anima rationali, quod in proprio naso aut  
pulmone inveniando errare, & quidem tam sæpe in  
uno homine, ut non raro contingit, possit; ubi ani-  
ma e contrario eiusdem hominis omnibus viribus  
vult & optat, ut hæmorrhagia per nares ad periculum  
mortis evitandum contingat. Quia vero natura ex no-  
stra sententia est corporea & mechanica, quæ non iudi-  
cio agit, sed secundum machinæ naturam & dispositio-  
nem,



nem, facile impedimentum vel caussa in machina oriri potest, unde errores, quemadmodum sæpe in horologiis contingit, oriuntur; vel ob debilem machinæ in hac vel illa parte dispositionem facile error quidam se exserit, atque sic haud difficulter concipi potest, quod sanguis per corpus a corde propulsus & valide pressus, fortuito & non ex consilio, eo in loco vasa, ubi in illo corpore minimum resistunt, perrumpat, aut nimium dilatet. Ideoque in quibusdam rumpuntur aut dilatantur in naribus; in aliis in pulmonibus, in aliis in ventriculo, renibus aut intestino recto, prout homines hanc vel illam partem, ut iam innuimus, debiliorem obtinent. Si anima has excretiones produceret, quæ rationalis est, & cum ratione agit, hæc non nisi per loca secura eiusmodi excretiones institutura esset; verum nunc eas per loca debiliora fieri videmus. Atque sic ex iisdem fundamentis mechanicis plerorumque aliorum naturæ errorum rationes facilius, quam ex hypothesi de natura rationali dari posse existimo.

## XIX.

Interea tamen si quis naturam nobiscum pro corporeo principio & mechanismo nostri corporis ad actiones has a Deo adaptato, si pro re quadam incorporea aut anima rationali habere malit, tamen nos iam demonstraturi sumus, medicum tam in secundæ quam adversa valetudine eius non esse, nec debere esse ministrum; sed magistrum, dominum & directorem, qui naturam, si forte non in omnibus, tamen in plerisque morbis, imo & in sanitatis conservandæ negotio pru-



denter & perpetuo regere, flectere atque dirigere debet; alias in pessimos labyrinthos & summa pericula nos quam sæpissime deduceret.

## XX.

*Naturam quidem sæpe esse sequendam, eamque etiam solam haud raro morborum esse medicatricem, five morbos curare, præsertim si conveniens regimen accedat, HIPPOCRATI aliisque facile concedimus, si modo res rite explicetur atque intelligatur: nam plus alias naturæ multi tribuere videntur, quam par est. Hoc igitur ut fiat, simili quodam totum hoc Medici & naturæ negotium illustrabo.* Equi quando currum trahunt, multum quidem præstant, atque sine eis auriga parum vel nihil in itinere proficere posset. Interea tamen, nisi auriga Dominus, rector & magister est equorum, hi facile a recta via aberrabunt, in devia, fossas & præcipitia incurrent, seque ipsos pessundabunt, in summa pericula coniicient, imo sibimet ipsis & hominibus, quos vehunt, mortem inferent. Ita si natura in hominibus agit sine perito rectore, eos in summum periculum facile coniicit; quia eodem modo, ut equus sine rectore aut bono auriga, in devia & absurda delabatur, in quibus homini facile esset pereundum. Quemadmodum vero nemo, quod sciam, unquam adeo demens fuit, qui aurigam pro ministro, & equos, licet quamplurimum in itinere præstent, pro Domino habuit; ita & ego nec Medicum pro ministro, sed Domino naturæ merito habendum esse censeo: quia hanc regit & gubernat, & ubi



ubi deflectit instar aurigæ ad rectum tramitem reducit. Qui vero dirigit, Dominus est eius, qui dirigitur.

## XXI.

*Eodem modo se res habet inter equitem & equum. Qui equitare vult, indiget equo, sine quo equitare nequit, & quidem bono, si quando bene equitare cupit. Ita Medicus, qui curare vult, indiget natura, sine qua, aut repugnante ea, sæpe nihil efficere potest. Quæ vero, quo melior, eo melius & facilius in curatione progredi poterit: adeoque semper melior curatio speratur in eis ægris, qui bona, quam qui imbecilli natura præditi sunt. Vbi vero equus est sine equite perito aut prudenti, se ipsum, licet optimus sit, facile perdet. Sic ubi natura est sine Medico prudenti & perito, aut saltem sine rationali consilio medico, quamvis robustissima sit, se ipsam aut corpus suum facile perdet. Quis vero iam Dominus, quis minister aut servus erit vocandus? Nemo erit, opinor, qui non equitem dominum habebit equi, non vero equum dominum equitis; etiam si eques sine equo equitare non possit. Igitur quia Medicus regit naturam, ut eques equum, immerito eius minister appellatur, sed Dominus & Magister vocandus erit.*

## XXII.

Obiiciunt, qui Medicum naturæ ministrum esse volunt, *Naturam*, ut supra iam concessimus, *sæpe solam morbos curare, & sine Medico*. Sed respondemus, eam quoque solam sæpissime non sufficere, & quasi forte fortuna contingere, si sola aut sine Medici di-



rektionē ægrum ex gravi morbo liberat : quemadmodum etiam fortuna contingit, quando machina læsa, ut supra diximus, se ipsam quandoque sponte restituit. Vt vero equi semper rectore, auriga aut equite indigent, si prudenter eos gubernare volumus, bonusque pater familias aut equorum herus non facile equos, ob maxime inde metuenda pericula, sibi solis relinquit; ita etiam natura in morbis ob summa pericula haud secure sibi soli, sine rectore aut Medico, vel saltem regimine medico relinquitur: atque hoc sensu verum est, *multos egros quidem sine medico, attamen non sine regimine medico*, quod loco medicamentorum est, rite curari. Quemadmodum vero bonus eques aut auriga equos, si rite procedunt, & in recto tramite incedunt, suumque officium recte faciunt, non terrere nec turbare solet aut debet; sed tantum curare, ut in hac via rite pergant, donec ad locum vel scopum propositum perveniant. Ita & medicus, ubi natura bene agit, suumque officium recte facit, eam non turbare debet; sic sæpe sine medicamentis ad optatum finem pervenit. Sicuti vero præterea boni equitis aut aurigæ officium est, equos, quando a recta via deflectere volunt, blande regere & in eandem viam reducere; vel quando impetuosius, quam par est, currere incipiunt, eorum vehementiam moderare & refrenare; vel e contrario, quando nimis segnes sunt equi, eos, quoties opus est, convenienti modo excitare & impellere; ita Medicus, quando natura a recta via, quam morbus quilibet decurrit, deflectit, ut quando vel vehementius insurgit, & fortius, quam par est, causam morbificam



cam aggreditur, aut nimis segniter & languide se gerit, Medicus pro diversa aberrandi ratione eam in viam rectam reducere, si vehementius insurgit, eius impetus nimios moderare & placare, vel si iusto segnius agit, aut languida aut imbecilla nimis evadit, eam iuvare, roborare excitareque debet : *quæ omnia Medicum magis Dominum & Rectorem naturæ demonstrant, quam ministrum.*

## XXIII.

E contrario, ii Medici, qui non nisi ministri naturæ esse, & ubique vel saltem plerumque tantum naturæ ductum sequi volunt, *mibi imperitis equitibus aut aurigis similes videntur, qui, quo equi volunt, sequi coguntur.* Ita enim, cum equus aliquando, ut trita est historia, cum eiusmodi imperito equite, qui equum regere ignorabat, hinc inde per vias cursitabat, & quasi errabat, interrogantibus, quo tenderet, eques anxie respondebat, se id ignorare; sive ut in vernacula nostra verba se habent, *Er könne nicht wissen/ wo das Pferd hin wolle.* Quam ignominiosum vero hoc esse solet equitanti, qui equum regere nescit, & cui eundum sequendumque est, quorsum equus vult, sive recte, sive male procedat aut currat; tam ignominiosum quoque hoc esse puto Medico, qui tantum naturæ ductum, qui sæpissime malus, perversus, & noxius est, ut infra adhuc pluribus demonstrabimus, quicquid naturæ rationalis defensores reclamatione, sibi imitandum proponit, & nunquam ut Dominus pro autoritate agit.

## XXIII.



## XXIIII.

Vt autem tanto clarius demonstrem, *Medicum valde inepte tantum pro naturæ ministro haberi*, facile mihi erit ostendere, eam non solum in plerisque morbis, præsertim ubi regimen medicum sive conveniens negligitur, non sufficere, & Medico bono rectori egere, si felicem aut saltem securiorem exitum desideramus; verum *ne quidem ad conservandam sanitatem sufficere*, multo minus ad eam amissam restituendam, sed ægris sæpe perversissima summeque noxia suadere: unde quam plurimi in morbos imo in ipsam mortem coniiciuntur. Quod ut exemplo declararem, quid frequentius est, quam quod *natura homines æstuante corpore ad potum frigidum bibendum incitet*. Vbi vero infelices illi, qui ductum naturæ sequuntur, & frigide bibunt, facile se ipsos interficiunt; aut si Medici, qui naturæ ductum tam solícite sequendum esse præcipiunt, & frigida inopportuno tempore ægris suadent, vel saltem permittunt, in perniciosissimos morbos, imo mortem eos facile præcipitant; ut tristissima experientia etiam in vulgus nota est. Simili modo, *quando calemus, subita refrigeratio naturæ videtur grata*; quæ nobis tamen adversissima existit. Ita ad *noxia quoque alia, tam in cibo quam potu*, homines præsertim valetudinarios sive imbecillos sæpissime sollicitat, iuxta tritum illud:

Nitimur in vetitum, semper cupimusque negata, quibus vero in casibus Medicus & quilibet sapiens, cui sanitas sua curæ cordique est, ductum naturæ minime tam temere sequi debet; sed oportet, ut aliunde pro-



probe perpendat, utrum hæc conducant an noceant: adeoque *in sanitatis conservandæ negotio sæpissime contrariari debemus naturæ ductui, eius illecebris prudenter resistere*, atque ex recta rationis dictamine & experientia facere suadereque, quid revera utile ac proficuum, dissuadere contra & intermittere, quæ experientia & ratione noxia esse cognovimus. Qua de re sapientissime CICERO a) differit, dum ait: *valetudo sustentatur notitia sui corporis & observatione earum rerum, quæ aut prodesse soleant, aut obesse, & continentia in victu, & prætermittendis voluptatibus, &c.* cuius sententiæ etiam est divus *Siracides*, quemadmodum ex variis eius locis videri potest. b)

## XXV.

Sic & homines *ad otium, ad desidium, ad somnum, ad animi affectus* varios, *ad excessum in venere, cibo & potu natura*, ut notum est, valde sunt proclives. Hinc qui ductum naturæ sequuntur, in quos morbos, in quas calamitates se non coniiciunt? Quibus vero omnibus in casibus, dum experientia melius edocti sumus, naturæ adversari, reluctarique, & secundum sanæ rationis atque experientiæ dictamen his rebus moderate & naturæ convenienter uti, haud abuti debemus, si nobis aliisve sanitatem conservare volumus; alias facile labefactabitur aut destruetur.

## XXVI.

Quemadmodum vero in statu sanitatis, ut ex modo dictis patet, *ductum naturæ sequi sæpissime summe noxium est*; ita in morbis id agere semper velle longe periculosissimum & ab omni ratione atque experientia

D

alie-

a) Lib. III. officior.

b) Cap. XXXI. &amp; XXXVIII.



alienissimum. Non negamus, in quibusdam imo in multis casibus hoc valere; verbi gratia in febribus, tam intermittentibus, quam continuis, ubi nausea & naturæ conatus ad vomitum adest, rectissime, si nulum contraindicans adsit, vomitum convenienti remedio cum emolumento ægri promovemus. Sic si a nimia satietate tormina & molesta moles in intestinis percipiuntur, quæ remotionem desiderant, rectissime per idoneum purgans evacuantur. Quando cognoscimus, naturam impuras aut corruptas sanguinis partes ad cutem propellere, atque ibidem excretionem earundem moliri, ut in scabie, variolis, morbillis, purpura imo & ipsa pestilentia; optime diaphoreticis blandis naturæ in hoc opere assistimus, & quæ sunt alia eiusmodi.

#### XXVII.

Attamen qui hoc in omnibus morbis valere putant, sibi que aut aliis persuadere volunt, vehementer fallunt & falluntur. *Dic enim mihi, sodes, an ductus naturæ bonus sit in hæmoptysi, vomitu cruento, mictu cruento, dysenteria, aliisque nimis hæmorrhagiis quibuscunque.* Dic mihi, quomodo hic naturæ ductum sequi vel imitari debeam. An hæmorrhagias iam nimias (nam de levioribus, quæ nullum incommodum, nullumve morbum inducunt, mihi hic non est sermo) augere debeo? hoc sane ægro mortem conciliaret, omnique sanæ rationi esset contrarium. An non potius omnis hæmorrhagia nimia in universum potius cohibenda, quam augenda? an non omnes periculosæ hæmorrhagarum species, ut hæmoptysis, vomitus & mictus cruentus convenienti modo sistendæ, & sanguis, si abundat & evacuatione indiget, potius per alia loca, quam quæ  
natu-



natura non modo indicat, sed pessima ratione facit, educendus? *Hic itaque vi & armis naturæ ductibus sæpe resistere debemus*, si boni Medici esse volumus, & non solum medicamentis, verum & scalpello & cucurbitulis, non ut minister, sed Dominus naturæ, qui imperare ipsi novit, ex aliis prorsus, quam quæ natura indicavit, locis, sanguis nimius aut ebulliens violenta quadam ratione, in corporis utilitatem nobis educendus, atque læsio a natura incongrue & inepte, ergo & sine ratione facta, rursus, si fieri potest, consolidanda.

## X X V I I I.

Præterea, quando *omnis generis dolores aut inflammationes in capite, oculis, auribus, dentibus, tonsillis, faucibus aliisque capitis partibus affligunt*, quando caput *vertigine* tentatur, quando *soporosi* adsunt morbi, ut *coma, lethargus, apoplexia*: quomodo quis his & similibus morbis ductum naturæ sequi possit, ego profecto nulla ratione video. Imo quod magis mirandum, illi, qui quam maxime in suis scriptis clamant, *ductum naturæ esse sequendum*, in quibuscunque capitis congestionibus sua principia sive hypotheses non sequuntur; verum potius aperte, & quidem rectissime docent, hic revulsiones a capite esse instituendas, per sanguinis missiones, præsertim in pedibus institutas; per cucurbitulas, per purgantia, pediluvia aliaque, quæ motum & congestiones sanguinis noxias a capite revocare apta sunt. *An autem hoc sit ductum naturæ sequi & naturæ ministrum esse*, ego profecto non perspicio, nec credo. Contra potius hæc Medicum naturæ male agentis & errantis, quæ tanquam res corporea sine iudicio ita agit, rectorem & dominum sive magistrum esse, quam manifestissime demonstrant.



## XXIX.

Ita simili ratione *in congestionibus, quæ in pectore sive pulmonibus fiunt*, nemo etiam ex iis, qui ministri naturæ eiusque ductum alias sequendum esse docent, hunc ductum facile sequitur; verum a pectore omni modo humores congestos per venæ sectiones & purgationes revellere, atque per resolventia dissipare studet, si ægri salus ipsi curæ cordique est. Fallax enim imo fallacissima est ea HIPPOCRATIS regula, quæ docet, *naturam ad optima quæque viam monstrare*: ut ex prædictis aliisque adhuc multis exemplis cognosci potest. Quid vero hæc aliter docent, quam quod bonus Medicus Dominus naturæ & non minister eius esse debeat.

## XXX.

Ex his quoque quam manifestissime sequitur, *bono Medico inquisitionem & observationem ductus aut motuum naturæ*, quemadmodum quidam putant, *non sufficere, neque ad hos potissimum*, ut nonnulli magni Medici docent, *attendendum esse*; verum mea sententia in bono Medico Clinico, ut magnus SYDENHAMVS iam docuit, requiritur, ut historiam morborum eorumque decursum probe calleat; id est, ut indolem unius cuiusque morbi, quomodo scilicet & quibus symptomatibus incipiat atque crescat, quaque ratione feliciter finiatur, & quid diversis his temporibus, principio scilicet, incremento, statu & declinatione, ratione atque experientia ducibus, optime faciendum sit; quæque remedia quovis tempore vel profint, vel noceant; quid bonum, quid malum effectum producat, quibus in morbis ductum naturæ sequi conducat, & in quibus eum sequi  
in



inutile aut noxium sit : id quod vero multum laboris, magnam diligentiam, accuratam observationem atque experientiam exoptulat ; quæ longe difficiliora sunt, quam ubi Doctores docent tyrones, Medico nihil aliud agendum observandumque esse, quam conatum, ductum & motus naturæ, eosque solum imitandos aut sequendos esse. Quam perniciofa vero sit hæc doctrina in antecedentibus, ni fallor, satis evicimus. Indeque etiam fieri existimamus, ut HIPPOCRATES iam diu conquestusest, a) *Medicos fama & nomine multos, re vero & opere perpaucos esse.*

## XXXI.

Medicus igitur bonus *magis causas & indolem morbi, quam naturæ ductum observare & sequi debet* ; ubi tamen simul semper prudentissima temporis morbi, ætatis, sexus, consuetudinis & vitæ generis diiudicatione opus habet, si tuto curare vult. Quod vero historiam & indolem morbi magis, quam ductum naturæ observare, nosse & secundum hanc curationem suam instituere debeat, docent primo hæmorrhagiæ illæ noxiæ & periculosæ, de quibus supra iam diximus, hæmoptysis scilicet, vomitus cruentus & mictus cruentus. Qui enim hos fluxus naturæ ductum imitando, augere aut promovere vellet, pessime cum ægris ageret, atque contra rationem & experientiam graviter peccaret. Verum oportet, ut hic ad indolem & causas horum morborum respiciat ; qui, cum a plethora & ebulliente sanguine ortum ducant, calorem temperantia, plethoram minuentia & revellentia, tam in paroxysmo, quam extra paroxysmum, tam præservandi, quam curandi fine desiderant.

## XXXII.

Ita *quis congestiones* capitis aut pectoris, quas supra (XXVII) nominavimus, secundum ductum naturæ curare

---

a) Lib. de lege.



poterit? profecto, ut ego saltem opinor, nemo. Qui vero Medicus horum morborum causas & indolem probe cognovit, ille plerumque satis facile per revellentia, sanguinis scilicet missiones in partibus inferioribus, purgantia, pediluvia, ac deinde resolventia, diaphoretica, congestiones illas discutientia, hæc mala curare poterit.

## XXXIII.

Quis unquam secundum ductum aut motum naturæ *morbos venereos*, & speciatim dictam luem veneream curabit, in quibus natura Medico aut parum, aut prorsus nihil indicat. E contrario, qui indolem horum morborum, gradum & tempus diversum, atque medicamenta, unicuique appropriata, horumque legitimam administrandi rationem probe habet perspecta, ille hac ratione longe plus præstabit, quam omnes, qui secundum naturæ ductum eos curare volunt. Quæ omnia demonstrant, *Medicum his in casibus magis Dominum & magistrum, quam ministrum tantum esse.*

## XXXIV.

Cum vero etiam *morbi sint, ubi conatus, motus & ductus naturæ observare utile & necessarium sit*, tamen in his Medicus se semper ut magister naturæ gerere debet, & instar ducis erga milites, aut boni equitis erga equum suum. Inprimis vero ex causa & indole morbi prius rite perspecta, ubi excretio vel evacuatio quædam vel per hanc vel per illam partem, ut modo per os & vomitum, modo per alvum & diarrhœam, modo per vasa salivalia, modo per cutem, modo per nares, aut intestinum rectum, aliasve vias, fieri debet; Vbi id Medico maxime incumbit, ut probe observet, an natura verbi gratia in febris continua, vel in variolis rite agat, quemadmodum indoles huius morbi, eiusque diversa tempora, ætas aliæque circumstantiæ illud requirunt. Quod si natura bene agat, riteque, ut natura horum morborum id requirit, procedat, non erit turbanda. Sin vero male agat, & ab indole huius morbi, ut sæpe fit, quacunque de causa recedat, medicus vel torpidam nimis naturam convenientibus remediis ex-



excitare, vel motus eius, præsertim cordis & arteriarum, nimis auctos, indeque pendentem calorem excedentem prudenter moderari debet. Si obstructions alvi diuturniores, præsertim in variolis confluentibus, aut etiam aliis peioris indolis, affligant, scire convenit, has tuto lenibus laxantibus, & præsertim manna solvi posse; id quod illi, qui ductum naturæ, utpote quæ alvum fere semper pertinacissime claudit, sequendum esse volunt, non audent, atque sic quamplurimos ægros amittunt. Ex quibus vero patet, quomodo quibusdam in casibus ductum naturæ prudens Medicus sequatur, in quibus vero eum susque deque habeat, & secundum causas & indolem morbi, secundum illud, quod prodest aut nocet, quodve bene aut male successit, ex arte, quod opus est, faciat. *Id quod sane est imperare, non ministrare naturæ, hoc est eam dirigere, imo sæpe cogere & non servire;* adeoque cum Director non sit minister eius, quem dirigit, Medicus vero naturam dirigat, eius non minister, sed magister, director & dominus erit. Quam etiam ob causam nonnulli Medicum iam adiutorem, alii directorem naturæ appellarunt.

## XXXV.

Atque hæc generatim ad sententiam nostram probandam, de Medico naturæ domino dixisse nunc sufficiat, donec aliquando per plura exempla & morbos speciales ac specialissimos id utilitatis publicæ causa uberius præstavero. Paucis solummodo adhuc indicabo, quod *Medicus in morbis quamplurimis chirurgicis adhuc manifestius naturæ Dominus & Magister sit*, naturaque hic artis imperium agnoscere cogatur: dum in his natura sæpe nihil quicquam indicare aut efficere valeat; Medicus vero hic naturam quasi inobedientem manibus, vi, igne & armis ad obsequium cogat. Quid enim natura agit in nævis maternis & excrescentiis tollendis? quid in maiorum arteriarum vulneribus? quid in luxatis fractisque *membris* reponendis? quid in anevrysmate? quid in atheromatibus & steatomatibus? quid in concretis oculis, naribus, digitis, ano & naturalibus? quid in vera



ra fistula lacrymali, cataracta, ungula, staphylomate & hypopyo? quid in labris leporinis & frænulo linguæ? quid in veno empyemate? quid in variis herniis & calculis vesicæ? quid in foetu transversim in utero sito, aliisque similibus morbis? profecto nihil: quique hic naturæ ductum, ut ministri eius, sequi & secundum ipsum agere volunt, nihil efficient. E contrario hic est, ubi Medicus vere imperat, & ubi se Dominum naturæ ostendit quam clarissime: dum herculea quasi manu, ferro & igne prædictos aliosque quam plurimos morbos sanat. Hic est, ut CELSVS inquit, a) *artis medicæ effectus evidentissimus*, unde potissimum auxilium, & sæpe unicum habet. Non quod ad nutum, aut ductum, aut motum naturæ, paucissimis saltem casibus exceptis, hic respicere opus habeat; sed quod secundum causas, naturam & indolem uniuscuiusque morbi, observato gradu, ætate, sexu & tempore, prudenter ad rationis & experientiæ normam ac dictamen agat, relicta natura ut ministrum longe post principia. Quicumque vero ex his non perspicit, Medicum naturæ potius magistrum & Dominum, quam ministrum esse vocandum, vilis per nos sit eius tantum minister, & si lubet, mancipium. Nos ut Princeps subditos, ut dux milites, ut eques equum, regit, gubernat, & si opus est, vi ad obedientiam & obsequium cogit; ita quoque naturam si recte agit, blande regemus; si a via deflectit, eam in rectam viam convenienti ac blando modo dirigemus; sin vero hac ratione obedire nolit & scopus obtineri nequeat, atque fortiora auxilia necessaria sint, vim quoque & arma, ut Principes ac domini solent, atque ut HIPPOCRATES ipse solitus est, in auxilium vocabimus; ita genuini erimus HIPPOCRATIS filii, id est, boni Medici, qui & leni & herculea manu, ubi opus est, naturæ imperamus, sanitatem conservamus, morbisque corporis recte succurrimus: id quod est medicinæ primarius scopus & finis.

---

a) Lib. VII. in præfat.